

Letter 480: 28 May [1532], Kempten, Jakob Haistung to Capito

The autograph original is in Strasbourg AVCU, 1AST 40 no. 22, pp. 533–4.

Salve, vir pientissime. Nuntius ille, qui haec mea ad te perferret, nimium acceleravit iter. Proinde non potui quae velim et necessaria essent ad te scribere. Attamen paucis scias rempublicam nostram christianam nondum esse pacatam, quin dilatio in re nostra facta est, ad comitia illa, quae in Schweinfurdt habita sunt. Nunc vero rediit is, qui urbis nostrae illic legatum egit (qui et nuper, ut audio, tibi comes fuit itineris, a Memminga ad Ulmam, Melchior Suitter nomine) et portentosa quaedam nuntia inde refert, inter quae praecipuum est quod dicit, Zuinglianos (ut vocant) omnino iacere. Item eosdem sese Lutheranis fere subdidisse et tantum non suorum errorum palinodiam cecinisse. In cuius testimonium adducit, Bucerum vestrum imo nostrum, quem dicit manus porrexisse D. Spalatino in quadam disputatione illic inter eos habita, exigit quoque ipsum Bucerum sese clam et furtim subduxisse, et ita lucem fugisse, ut tandem fugam arripiens, comitia insalutato hospite deserverit. Hoc mussitant Lutherani in angulis, quae imo tibi ac Bucero scribo, ut eo clarius horum hominum perfidiam agnoscatis. Evidem universa haec, non nisi nugas et calumnias esse certo scio. Interim vero tu, mi frater, scias, me ab incepto illo, quod te praesente constituimus nequaquam destitisse, sed iamiam rem rursus confidenter, divina fretus ope, aggressus sum, utpote coenam unicam cum ecclesia nostra celebraturus pro veritate instituentis Christi, quantum pereundum licet, eorum obnitentibus et invitis adversariis; nisi, ita Deo volente, functione mea in ecclesia exauctorer. Dominus faciat quod bonum est in oculis suis. Quum sedulo et indesinenter pro me et ecclesia nostra, quae vere Christi est, tu cum fratribus orato. Insuper quoque te precor, ut quantotius poteris nacta tabellionum opportunitate ad Augustam, me tuis consolari litteris, ne praetermittas. Et si quae digna sunt meis litteris respondeas, praecipue vero de eo me certiorem reddas, quem nobis olim pastorem destinaveras. Num is adhuc nobis possit obtingere. Si aliquando gratior divini flatus aura, rebus nostris afflaverit, ne non omnis spes de nobis abiicienda sit, id mihi significato. Interim vale et vive Christo doctissime viri. Datum Campodani, raptim 28 Maii.

Iacobus Haystung ecclesiastes Campidonensis.